



Kem 3497  
(1 - 19)

554

DE

(7)

# PLANTARVM EPIDERMIDE.

SPECIMEN INAVGVRALE

QVOD

CONSENSV FACVLTATIS MEDICAE

HALENSIS

PRO

GRADV DOCTORIS MEDICINAE

OBTINENDO

DIE XX. OCT. MDCCC.

BVBLINE DEFENDET

AVCTOR

ANTONIVS KROCKER

WRATISLAVIA SILESIUS

SOCIET. SYDENHAM. SOCIVS.

CVM

PRAEFATIONE SPRENGELII.

ACCEDVNT III. ICONES.

---

HALAE,

TYPIS FRIDER. DANIEL. FRANKII.



PLANTARUM PRACTICE

CONSTITUTA THERAPEUTIS MEDICINA

HALLIUS

PLANTARUM PRACTICE MEDICINA

CONSTITUTA THERAPEUTIS MEDICINA

HALLIUS


PATRI OPTIMO

H O C C E O P V S C V L V M

SACRVM E S S E V U L T

A V C T O R.





---

## LECTVRIS S. CVRTIVS SPRENGEL.

---

**N**on defuerunt nostris temporibus, qui antiquitus receptum illum scholarum morem, quo, qui summos in disciplina quadam honores adfectat, specimen industriae suae evulgare iubet, vituperarent ac penitus damnandum censerent. Crediderunt enim, qui barbaris saeculis originem suam tribuat, haudquaquam nostris temporibus aptum esse morem. Adversus id autem hominum genus egregium exhibent argumentum exempla paeclarata tentaminum iuvenilium, quibus ipsis utique limites scientiarum dilatati, novaque iis non pauca augmenta addita fuerunt.

Praeclaris his exemplis adnumerandus omnino esse et hic libellus mibi videtur, quippe quia, licet specimen sit iuvenilis ingenii et academicae diligentiae, tot tamen tantaque nova complectitur incrementa doctrinae de fabrica plantarum, ut et celebratissimi nostri aevi auctores (Rafnium nomine, Seneberium, maximeque Medicum) discere non pauca ex his plagulis possint.

Iuvenem, qui haec conscripsit, a clarissimo flo  
rae Silesiaca auctore genitum, in spem patriae vir  
tutis nutritum, a me per plures annos doctrinam hau  
siſſe,

*sisse, ipsique memet auctorem fuisse, ut in hoc studii genere seje exerceret, laetor etiam atque etiam et gloriior.* Protinus enim ut acerrimo studio disciplinam de fabrica plantarum, desertam eam ac neglectam, in hac literarum universitate agitare coepi, facile animadvertisi, si quis auditorum meorum idoneus ad alacriter colendum id studii genus sit, certe Krockerum meum esse. Eum enim iamdudum ob intellectus et iudicij perspicuitatem indefessamque industriam perinde aestimaveram, ac dilexeram propter animi candorem ceterasque virtutes. Namque haec sunt fere eiusmodi studia, quae suis nos illecebbris trahunt ad verum decus, ut nec sermonibus vulgi nos dedamus, nec in praemiis humanis spem ponamus rerum nostrarum.

*Evidem in doctrina de fabrica plantarum, quam quotannis publice et e regia munificentia docere muneris mei est, iampridem monueram, initium omnis huius disciplinae ducendum esse a dissectione partium et microscopica contemplatione.* Facuit id studium usque ad hanc aetatem, nec ullum habuit lumen literarum vel nostrarum vel exterarum, si ab uno discesseris Hedwigio. Is vero ipse, quamvis meritissimus vir et dignissimus, neque plane expers fuit omnis praeconceptrae opinionis, neque sedulo perrexit in iis studiis, quae felici omni inchoaverat.

*Factum autem est nostrorum hominum singulari quadam inertia, ut, quaecunque Hedwigius e pauculis suis observationibus effecerat de vasis plantarum*

rum et osculis exhalantibus, a plurimis scriptoribus ita repeterentur, quasi extra omnem dubitationis aleam posita essent. Unicus fere Humboldtius, felicissimus ille naturae scrutator, dubia gravissima ante aliquot annos movere coepit de usu orificiorum, quae exhalantia nuncupaverat Hedwigius. Iis vero, quae de vastis statuerat lymphaticis aliisque immortalis Joannes, et ipse Humboldtius adsentiri non dubitavit.

Anni 1799 mense Aprili, microscopio eodem instructus, quo Hedwigius ὡ μαραφτὸς uti consuerat, margines cellularum, seu dissépimenta epidermidi adhaerentia potius esse, quae vasa lymphatica Hedwigius habuerat, bene perspexi. Deinde in vasorum et organorum aliorum fabricam inquirens, oscula illa potius absorbentia esse quam exhalantia, pilorumque usum eum esse ut exhalationi inserviant, urticulorumque et fibrarum spiraliū longe aliam esse structuram ac vulgo creditur, invēni. Tantis tamen in angustiis gloriola mea sese continuit, ut argumenta nova illa ac speciosa, quae in hoc syntagmate leguntur, omnino ignota mihi essent, priusquam Krockerus me ea doceret. Id maxime argumentum, quod ad opticum errorem refert phaenomenon dupicum marginum cellularium, premendum etiam atque etiam esse arbitror, tanquam speciosissimum.

Decantatam quoque illam differentiam inter calycom et corollam noster egregie illustravit. Quot enim, quantique etiamnum errores circa id discrimen obveniant, cuivis innotescit, qui vel nuperrima per-

perlegerit compendia botanica. Memini autem, me ante hos duos annos, Iussteui diagnostin publice iam docere: calycom nimirum eam esse partem perigonii, quae epidermidis sit propago continua, corollam vero eam, quae e fibris potius spiralibus producatur. Hanc quidem diagnostin egregiis bisce et observationibus et experimentis Krockeri partim illustratam, partim probatam esse vehementer laetor; auguror etiam, arduam illam de nectariis doctrinam his tandem continuatis disquisitionibus melius definiri posse. Id autem studiorum horum caput alii auditorum servavi, qui in eo elaboret, a cuius ferventissima sedulitate optima quaeque spero.

Supereft, ut almae noſtrae Fridericianae gratuler alumnū talis doctrinae, ut gratuler Silesiae, optimis viris clarae, civem et medicum eximium, ut patri gratuler filium, patriae virtutis aemulum, de quo profecto dici possit, quod Hector ille de filio Astyanacte augurabatur:

Καὶ ποτέ τις ἐπῆστι Πατρὸς δὲ ὅγε πολλὸν  
ἀμείνων!

Ex horto botanico Halensi d. XV. Oct. MDCCC.

---

CAPVT I.

...oꝝ occidit. sed etiam in aliis plantis sicut in  
...im illis enim raro dicitur. Etiamque oꝝ et in illis  
...in aliis plantis sicut in aliis plantis sicut in

## C A P V T I.

### D e e p i d e r m i d e i n g e n e r e.

cilia de epi dermis. **I.**  
externum minutissimi musci frondosii aut hepatici, involu-  
crum, totum vegetabile, involvens, nomine epidermidis  
venit.

In primis botanices incunabulis, corticis nomine  
tam epidermis quam cortex recentiorum comprehen-  
debatur. Hinc ait *Theophrastus*<sup>1)</sup>: folia cortice, carne,  
et humoribus constructa esse. Recentiori vero  
aero epidermis jure, meritoque a cortici superstrata  
membranula<sup>2)</sup>, unicum foliorum integumentum<sup>3)</sup>,

<sup>1)</sup> De cauſ. plant. lib. I. c. 17. p. 19. ed. Heinr.

<sup>2)</sup> M. *Malpighii Anatome plantarum* Londini 1675. Tom. I.

<sup>3)</sup> *Malpighius* L. c. Tom. I. p. 37.

epidermidis nomine consideratur; quae in regno vegetabili tam varie effigurata et texta quam cutis illa mira animalium.

Ab ima radice ad excelfsum cacumen porrigitur. Quamvis simplex primo intuitu; diligentior ejus illustratio, indefessum investigatoris laborem et tempus compensat.

A quibusdam plantis separatu difficillima; ab aliis vero haud aegre detrahi potest. In illarum numero sunt plantae sicciores, graminum species, palmae, folia coriacea Magnoliae, folia reticulata Menthae crispa, Urticae urentis, villosa et tomentosa, quo referuntur Elaeagnus, Verbascum; Populus alba: his autem adnumerantur plantae succulentae, carnosae, ad quas Mesembryanthemi species, Cactus et Sedum pertinent. Verum enim vero a rigidissimis, ipsiusque asperis plantarum partibus, varia arte decerpendi est: aut *Hedwigii*<sup>4)</sup> methodo, ope scalPELLi subtilissimi elevatur; hinc forcipe porro devellenda, aut vi putredinis solvenda. Interdum etiam infecta inserviunt, quae foliorum parenchyma, usque ad epidermidem erodunt. Idem praefat fructuum coctio, non unquam maximae utilitatis, qua quidem facta, cuticula suprema facile adimi potest. Alio modo non rudit artis, solutam obtinet epidermidem, qui cultro peracuto hanc a foliis Magnoliae, Nerii Oleandri, ipsiusque Citri coriaceis, aliarum-

4) Sammlungen seiner zerstreuten Abhandlungen. Leipzig  
1793. I Band. p. 120.

aliarumve plantarum, tenuissimo et pellucido segmen-  
to disjungere potest.

2.

*Epidermidis cellulosa structura magis illustrata.*

Si epidermidis frustulum a planta solutum, in orbiculo  
vitreo aqua impleto, microscopio subjicitur, omni pa-  
renchymate remoto, cellulas copiosissimas invicem sibi  
adnexas contemplamur, quae ipsam epidermidem con-  
struunt. Aliis in plantis simplicioris, in aliis vero ma-  
gis compositae sunt formae, quae in radicibus, caule  
et foliis non tantum modo variae, sed in singulis etiam  
mirae varietatis deprehenduntur. Harum cellularum  
limites dehinc *margines cellulares* nuncupaturus sum.  
In quibusdam plantis parallelae, linea recta adscendent,  
similibus inter se transversim conjunguntur <sup>5)</sup> ita, ut  
parallelogrammata aut rectangulae figurae prodeant:  
in aliis vero parallelae diffusi et transversim conjuncti,  
sed singuli sinuati, egregium oculis praebent spectacu-  
lum, et tales in Holci Sorghi foliis <sup>6)</sup>, reperiuntur.

Eucomis punctatae <sup>7)</sup> epidermidis cellulae, mar-  
ginibus adscendentibus transversim connexis, forman-  
tur, qui versus conjunctiones ita concurrunt, ut ea-  
rum forma oblonga evadat. Sexangulares et regula-

A 2 res

<sup>5)</sup> vid. Tab. III. Fig. III.

<sup>6)</sup> vid. Tab. III. Fig. V.

<sup>7)</sup> vid. Tab. III. Fig. X.

res Agaves americanae<sup>8)</sup> margines cellulares conspi-  
ciuntur. Hexagona Salicorniae herbaceae<sup>9)</sup> margi-  
nibus inaequalibus et rectis, Alismatis Plantaginis<sup>10)</sup>  
cellulae inaequalibus et undulatis construuntur.

Vix autem in ulla epidermidis specie, omnes cel-  
lulae perfecte aequales se ostendunt, quin hinc, illinc,  
quadrangulares aut pentagonae interponantur. Irregu-  
lares dein nuncupare soleo cellulas, quarum margines  
in quatuor, quinque, sex, aut plures concurrunt angu-  
los, et quarum quaevis, tam forma<sup>11)</sup>, quam margi-  
nibus discrepat, qui denticulati<sup>12)</sup> in his, in illis vero  
undulati pergunt<sup>13)</sup>.

Margines, de quibus nunc sermo fuit, in planta-  
rum epidermide laxioris structuræ, aqua submersa,  
microscopio subiecta, simplices adparent. Cuticulae  
autem pars in orbiculo vitreo exsiccata, aut lateri in-  
terno imposita, quod antea cum parenchymate con-  
junctum erat, rarissime madefacta, monstrat, cellula-  
rum densiores, fere duplices parallele currentes mar-  
gines:

8) vid. Tab. II. Fig. V.

9) vid. Tab. III. Fig. VI.

10) vid. Tab. III. Fig. VII.

11) vid. Tab. II. Fig. VI.

12) vid. Tab. I. Fig. III.

13) vid. Tab. II. Fig. II.

gines<sup>14)</sup>; unde elucet, quanam ratione *Hedwigius*<sup>15)</sup> illos, vasa lymphatica habere potuerit. Hoc tamen phaenomenon facile iungitur cum optico errore qui primo intuitu aegerrime removeri poterit. Quum vero curatius rem perscrutarer in plurimis plantarum speciebus, simplices, in aliis vero duplices cellularum margines deprehendi, qui eadem in planta saepissime utroque modo conspiciebantur: ex quo conjiciebam, externas accidentales res, variationes efficere; quare ad minima tunc attendebam.

In frustulis epidermidis servatis jam antea obser-  
vaveram, evaporatis humoribus, omnes cellularum  
margines antea simplices, nunc duplices apparere.  
Eo tempore Tradescantiae discoloris folium investiga-  
bam, cuius textura laxior huic investigationi aptissima  
videbatur. Epidermidem folii superiorem aqua inun-  
datam, microscopio adplicabam; cellulas hexagonas,  
marginibus simplicibus circumscriptas contemplatus,  
quae orbiculo vitro deinde siccо imposita, duplices mar-  
ginum ordines, in angulis se invicem decussantes,  
monstrabat. Inferior folii rubra facies, cuticulam he-  
xagonis cellulis constructam sifit; quae um margines  
distincte adparent, concurrentibus adhuc aliis lineis,  
minus perspicuis, priores concomitantibus, nunc ad  
dextrum, nunc ad sinistrum latus vergentibus<sup>16)</sup>: quae  
aliis

<sup>14)</sup> Hedwigs Sammlungen ect. Tab. V. Fig. I. II. III. IV.

<sup>15)</sup> ibidem I. B. S. 121.

<sup>16)</sup> vid. Tab. I. Fig. I.

aliis in locis, distinctiores illos margines, et praecipue in angulis cellularum decussant. Praeterea hae lineae obscureae latentes, de quibus fermo fuit, tunc demum magis emergunt, quando objectum vitro proprius attrahitur; quod evidentissime probat, has cum illis non in eodem plano fuisse. Hoc discrimen, lente augmenta majora praestante, insignius prodit; quia hujus et minima foci mutatio, vel clarius objectum repraesentat, vel plane oculis subducit.

Quibusdam in partibus manifestissime, simplex membrana externa conspiciebatur soluta, dum in aliis primae parenchymatis cellulae illi ita adhaerebant, ut interna epidermidis facies, cum externa parenchymatis cellularum, cava efformarent, quae materiae coloranti servandae<sup>17)</sup> inserviebant. Color in singulis dispersis cellulis, ad earum margines usque profluit; pluribus vero cellulis simul colore impletis, non interjecta linea observatur pellucidior, quae lymphatici vas cursum, inter epidermidis lamellas positi, designaret.

His vero, quae modo praecepi, efficitur:

- 1) Lineas obscureas juxta epidermidis margines cellularares pergentes, pertinere ad membranam introrsum tendentem.
- 2) Haec membrana, iuſſicente aquae quantitate immersa, deorsum pendet; in seco autem vitro

ver-

<sup>17)</sup> vid. Tab. I. Fig. I.

— 7 —

versus epidermidem revolvitur, et tunc duplices  
margines prodeunt.

- 3) Ceterum parenchyma cum epidermide, cellulosis dissepimentis copulatur, quibus, ad internum epideridis latus, adnexis, margines cellulares effigurantur.
- 4) Est vero epidermis revera, quoad situm, primum telae cellulosae stratum.
- 5) In plantis, quarum non nisi superficies colorata, epidermis simul cum parenchymate receptacula construit, quae coloranti principio recipiendo inserviunt.

3.

*Rimae annulatae describuntur.*

Inter margines cellularēs supra notatos, adparent corpora singularis formae, modo rotunda, modo ovata, modo aliter composita, plus minusve squamosae materiae continentia. Illustrissimus de Gleichen<sup>18)</sup> partes genitales Polypodii vulgaris, Asplenii Rutaē murariae quaerens, primus illa detexit. Quae quidem verae partes genitales putabantur, usque dum Hedwigius organa haec, nova disquisitione dignatus, eadem in plan-

tis

<sup>18)</sup> Das Neueste aus dem Reiche der Pflanzen etc. von Friedr. Freiherrn v. Gleichen genannt Russworm 1764.  
S. 24 und 30.

tis aliis observans, delineaverit et nomine vasorum  
secernentium<sup>19)</sup> nobis tradiderit.

*Du Hamel du Monceau*<sup>20)</sup> de maculis pellucidis  
loquitur, quas in epidermide microscopio submissa de-  
prehensas affirmat et foramina parva censet. Atta-  
men dubito has ad rimas annulatas pertinere: nam  
**epidermis**, a substrato parenchymate purgata, omnis  
ejusdem pelluciditatis fuisset, dum squalida et paren-  
chymate tecta, rimas annulatas non pellucidas, sed  
corpora obscura ovata manifestaret.

*Philibertus*<sup>21)</sup> ea non perspexisse videtur, et *Se-  
neberius*<sup>22)</sup> in libro suo, de plantarum physiologia nu-  
perrime edito, haec organa se nunquam vidisse, his  
ipsius verbis fatetur: „*Comparetti a vu ces pores com-  
me Hedwig*, mais je ne puis dissimuler, que j'ai cher-  
ché inutilement ces pores avec les meilleures verres,  
„avec les microscopes, simple, composé, et solaire,  
„fur

<sup>19)</sup> Hedwigs Sammlungen sein. Abhandl. ect. I B. S. 116.

<sup>20)</sup> Natur-Geschichte der Bäume, Uebersetzt von Carl  
Christoph Oehlhausen von Schoellenbach. Nürnberg 1764.  
Kap. 2. S. 46.

<sup>21)</sup> Introduction a l'étude de la botanique, a Paris. an VII.  
Tome I. p. 96.

<sup>22)</sup> Physiologie végétale, contenant une description des or-  
ganes des plantes, a Genève 8. Tome I. p. 455.

„sur diverses parties des plantes. Je ne mets pourtant pas en doute les observations de ces grands hommes, confirmées par les conséquences que le raisonnement tire de fait.“

Haec organa, de quorum functione meum iam non est sermonem habere, omnibus plantae partibus, exceptis antheris et radice, sed cauli, petiolo, folio, pedunculo, calyci, flori, pistillo et germini, superstrata animadvertis; quorum fusorem descriptiōnem, tam varii numeri quam mirae figurae, nunc exordiar.

Indagatio accuratior in eorum structuram instituta, id, quod proferam, illustravit. Ovata plerumque in plantis, annulo rimam includente<sup>23)</sup>, haec corpora composita sunt. Variis in herbis rimae et annuli dissimiles, et numero multiplices obveniunt: rotundi in Magnoliae grandiflorae<sup>24)</sup> foliis, et elliptici in Eucommis punctatae<sup>25)</sup> foliis. Compressi adparent in superficie Alismatis Plantaginis<sup>26)</sup>. Annuli epidermidis graminum haud raro rhombi formam<sup>27)</sup> ostendunt; qui paral-

<sup>23)</sup> vid. Tab. I. Fig. I. II. III.

<sup>24)</sup> vid. Tab. I. Fig. VIII.

<sup>25)</sup> vid. Tab. III. Fig. X.

<sup>26)</sup> vid. Tab. III. Fig. VII.

<sup>27)</sup> vtd. Tab. III. Fig. V.

parallelogramma cum angulis obtusis in Agaves americanae<sup>28)</sup> foliis observantur, et polygona in Citri Medicae<sup>29)</sup> foliis repraesentant.

Nonnulli eorum tam in superiore quam in inferiore parte<sup>30)</sup> emarginati eodem modo sunt, quo foliorum apicem emarginatum videmus. Duplicis ordinis in epidermide Salisburyae<sup>31)</sup>, et triplicis observavi in Cacto tetragono.<sup>32)</sup>

Structurae mira fane est varietas, a natura non minus internis hujus organi partibus, quales rimae sunt, tributa, Philosopho tantum argumenti quaestionibus formandis, quantum admirationis sensibili naturae curiosi oculo praebet. Rimae fere semper in utraque parte angulos acutos conficiunt<sup>33)</sup>: rotundae rimae in Citro Medica<sup>34)</sup>; quadrangulares in Agave americana<sup>35)</sup> et ab illis, in folii inferiore Nerii Oleandri<sup>36)</sup> epi-

<sup>28)</sup> vid. Tab. II. Fig. V.

<sup>29)</sup> vid. Tab. I. Fig. IX.

<sup>30)</sup> vid. Tab. I. Fig. II. et Tab. II. Fig. VI.

<sup>31)</sup> vid. Tab. I. Fig. III.

<sup>32)</sup> vid. Tab. II. Fig. L

<sup>33)</sup> vid. Tab. III. Fig. VIII.

<sup>34)</sup> vid. Tab. I. Fig. IX.

<sup>35)</sup> vid. Tab. II. Fig. V.

<sup>36)</sup> vid. Tab. I. Fig. IV.

II

epidermide diversissimae figurae reperiuntur. Hic videmus ora oblonga, eaque irregularia, quorum margines pilis obfessi.

Rimarum quaedam nunc clausae, obscuram linéam efficiunt; nunc apertae, in medio maculam pellicidam ejusdem formae monstrant, quam limites habent, quibus circumscribuntur. Saepius apertas maiores in plantis conspexi, quae paulo post, adhibito microscopio, ipsarum contractionem evidentissime monstrabant. Observatori quamvis rudi, hoc phaenomenon in foliorum tenuium epidermide Amaryllidis formosissimae, quam maxime perspicuum adparet. Partem hujus a folio tenuissimo, bulbo adhuc defenso, solutam disquisitioni subjeci, cuius annuli emarginati<sup>37)</sup>, et apertae rimae rotundae pellucidissimae, pauclo post, contractione propria coaretari ac mutari videbantur ita ut dein figurae X. Tab. III. aequarent. In nullo alio plantarum specimine clarius harum rimarum orificio explorari nequit, quam in supra exposita, quo et *Hedwigii*<sup>38)</sup> argumenta orificiis faventia examinari possunt. Inter annulum et rimam positum spatum, materia granulata aut fungosa, diversi interdum coloris, obstipatur, quae flava Polypodii vulgaris cuticulae interne adhaeret; dum in aliis cinerea observatur. Eadem accumulari et in interna horum organorum facie, versus rimas coacervari, quamquam in vicinis partibus plane deleta, a parenchymate diversissima,

par-

<sup>37)</sup> vid. Tab. I. Fig. II.

<sup>38)</sup> Sammlung sein, Abh. p. 126.

partim colore, partim minore globolorum structura, deprehenditur.

Rimarum situs in variis plantis et earum partibus, varius: in pinis<sup>39)</sup> et graminibus iuxta se positae sunt in recta omnino linea, dum in herbis aliis varie sparsae<sup>40)</sup> sunt.

Non ubicunque earum diameter cum cellularum diametro congruit<sup>41)</sup>; sed decussat cellularum<sup>42)</sup> longitudinalem. In aliis quatuor margines cellulares cum rima annulata<sup>43)</sup> correspondent: duo in Dianthi foliis, unus superiorem annuli partem, alter inferiorem tangit.

In Salicorniae herbaceae epidermide, rimae locum occupant, ubi alias margo cellularis interjectus invenitur, quae conjunctiones<sup>44)</sup> ubi cellulae irregulares adparent, in quolibet annulo variant, et modo quinque, modo sex, modo septem margines<sup>45)</sup> cellulares ad annulos tendunt.

Quod

<sup>39)</sup> vid. Tab. I. Fig. VII.

<sup>40)</sup> vid. Tab. I. Fig. VIII.

<sup>41)</sup> vid. Tab. III. Fig. V.

<sup>42)</sup> vid. Tab. III. Fig. VII.

<sup>43)</sup> vid. Tab. III. Fig. IX.

<sup>44)</sup> vid. Tab. III. Fig. VI.

<sup>45)</sup> vid. Tab. II. Fig. II.

Quod ad numeram adtinet, non idem in omnibus plantarum partibus; attamen in speciali harum descriptione fusius tractabitur. Unicum exemplum sufficiat, attentione dignissimum, ex quo conjicere licet, haec organa functioni praeesse, quae plantarum vitae maxime necessaria: eorum in *Lilii bulbiferi* foliorum epidermidis linea quadrata, quingenta septuaginta septem<sup>46)</sup> et secundum *Leeuwenhoekii* observationem<sup>47)</sup>, in *Buxi* folio pororum centena septuaginta duo millia, deprehendebantur.

## 4.

*De glandulis agitur.*

**C**orpora subinde forma et colore distincte ab illo parenchymatis discrepantia, infra epidermidem sparsa obveniunt; in *Myrsines africanae* foliis, purpurea, in *Hyperici* perfoliati luci oppositis, ut maculae pellucidiiores discernuntur: dum in aliis vesiculae transparentes ut in *Mesembryanthemo* crystallino, aut obscurae protuberantiae in foliorum medio, aut apicibus denticolationum, nec non ad extremum petiolum sitae observantur.

Hae partes vario tempore humores fecerunt, coloratos vel pellucidos, nunc liquidiores, nunc tenaces, modo odorem spargentes, modo non; insipidos plen-

<sup>46)</sup> Hedwigs Samml. sejn. Abhandl. p. 126.

<sup>47)</sup> Senebier l. c. Tome 1. p. 411.

plerumque, quamquam nonnullos sapore praeditos. Tam functionum, quam earum formae similitudo cum cutis animalis glandulis in causa fuit, cur priores observatores eas glandulas censerent; quamquam interna harum structura etiamnum tenebris haud penetrabilibus involuta reperiatur.

*Malpighius* <sup>48)</sup> et *Grewius* <sup>49)</sup> haec organa parum perspecta habuerunt. Recentiorum fuit, hasce plantarum partes innumeras disquirere et illustrare; de quarum oeconomia ample et fuse *Guettardus* <sup>50)</sup> egit, et in omnibus plantarum partibus deprehensas has glandulas contemplatus; quare persuasit sibi, posse ex illis fundamentum divisionis deducere, ad regni vegetabilis infinita membra enumeranda. Quamquam per aliquod tempus observations conjecturis ejus favebant, illi tamen difficultates occurribant, quae hac via nullo modo dissolvendae erant. Septem earum ordines sifit, quorum dividendi principia e varia earum forma desumit.

1) (Glandes miliaires <sup>51)</sup>). In pini speciebus parvae et rotundae obveniunt.

2)

<sup>48)</sup> Anatome plantarum.

<sup>49)</sup> The anatomy of plants.

<sup>50)</sup> Histoire de l'academie royale des sciences de l'année 1745. Amsterdam 1754. Mémoires p. 367.

<sup>51)</sup> Mémoires de l'academie des sciences etc. 1745. p. 377.  
Pl. 6. fig. B. b.

- 2) (Gland. vesiculaires<sup>52</sup>). Ad has glandulas, Hyperici, Myrti, Citri etc. vesiculas numerat et describit.
- 3) (Glandes écaillées<sup>53</sup>). Has in filicibus observasse fatetur; mihi tamen, quas descriptis et delineavit, capsulae feminales harum plantarum videntur.
- 4) (Gland. globulaires<sup>54</sup>). Corollis labiatis.
- 5) (Gland. lenticulaires<sup>55</sup>). Betula Alnus et alba illis praeditae, quae minore et longiore forma ab aliis discrepant.
- 6) (Gland. à Godet). Ad quas numeranda fuit illae, ad margines foliorum et petioli sitae.
- 7) (Gland. utriculaires). Aloë et ficus specimina referunt.

Necessarium tamen arbitror, ab hac divisione discedere, quia harum nonnullae constanter haudquaquam differunt; aliae vero secundum recentiorum observationes ex glandularum ordine delenda; quo referuntur.

<sup>52</sup>) Ibidem p. 377. Pl. 6. Fig. D. d.

<sup>53</sup>) ibid. — p. 378. Pl. 6. Fig. D. d.

<sup>54</sup>) ibid. — p. 378. Pl. 6. Fig. E. e.

<sup>55</sup>) ibid. — p. 378. Pl. 6. Fig. F. f.

tur (glandes écaillées de Guettard) quae in siličibus  
deprehensa, receptacula seminum construant. Ceterum in hac divisione internam glandularum structuram  
ad attentione dignam Gaettardus non aestimavit, et situm  
earum plane neglexit.

Idecirco interna et externa haec organa divisa vo-  
lo; quorum primis ad numero omnes glandulosas par-  
tes epidermidi substratas, ad quarum constructionem  
epidermis nihil confert<sup>56)</sup>; modo rotundae, modo len-  
ticulares, rubrae vel flavae, obscurae vel fuscae in  
aliis, in cellulis parenchymatis positae, non prope in-  
ternum epidermidis latus, sed remotae comprehendun-  
tur; quod distincte adparet in folii lamellula, a supe-  
riore superficie ad inferiorem dissecta, ita ut folii in-  
terna structura obvia fiat, quod in cacto facillime per-  
ficiendum.

Has glandulas nunquam vaſorum ope conjunctas  
perspiciebam; ſed ubicunque aut in cellularum me-  
dio latentes, aut parenchymatis disſepimentis adfixas,  
inveniebam. De his vero non plura addam, quia ni-  
mis a ſcopo meo avocarer, ad quem tantummodo  
ſpectant ea, quae in arctiori connexione cum epi-  
dermide ſunt. His ad numero externa corpora glandulosa,  
quorum reſero colliculos in ſuperficie prominentes,  
ad quorum structuram non minus epidermis confert,  
quae in his partibus, quas tegit, a communi structura  
differt. Quae iterum in glandulas pedunculatas et ſef-

ſiles

<sup>56)</sup> vid. Tab. II. Fig. VI.

siles subdividi possunt; ad illas pertinent glandulae, quas vocant capillares, in Rubi odorati foliis et calyce copiosissime distributae, nec non calyciformes ad latera petioli sitae, quae in plurimis arborum speciebus occurunt: in harum autem numero sunt glandulae, paululum plantarum superficiem excedentes, quae latiori basi in epidermidem diffunduntur et cum internis plantae partibus cohaerent. Hic ordo, glandulas in Mori albae <sup>7)</sup>, Betulae albae, Rutae graveolentis, Mesembryanthemi crystallini foliis disseminatas complectitur; quibus additae Brassicae oleraceae glandulas marginales, nec non eas, quae denticulationum apices terminant.

Auctorum plures illarum mentionem fecerunt,  
neque tamen intimam structuram clarius expouuerunt.  
Liceat mihi itaque, quaedam de earum oeconomia ad-  
dere, quantum hanc disquirere et illustrare potui.

5.

*Externarum glandularum clarior descriptio.*

In nonnullis foliorum partibus, pedunculi calycis et corollae, epidermis in cylindrum producitur pelluci-  
dum, longum vel brevem, cuius apici globulus in-  
sistit et hoc modo a pilis discernitur. Superior globosa  
pars, textura fungosa obstipata, nunc rubro, fulvo  
vel

<sup>7)</sup> vid. Tab. II. Fig. III.

vel flavo colore tincta, magis viscosum humorem, quam pili, fecernit. Tales in Pelargonio inquinante, Pelarg. Zonali, Rubo odorato, Madia mellita, Salvia glutinosa, et in foliis Andryalae integrifoliae nudo oculo observari possunt, in hac vero earum pedunculi fulvi duas lineas aequant. Anologia illis nomen tribuit, et glandulae capillares nuncupari solent.

Haec enim corpora plantarum superficiem superantia, quae cylindri aut inversi coni forma ad petiolos adfixa deprehenduntur; quorum in medio navicula humorem viscosum, ut effectum eorum actionis, servat, nomine *glandularum calyciformium* veniunt. Media eorum parte secta, tela interna cellulosa eo magis coarctata, quo centro propior, quod itidem in cellulis epidermidis observatur, quae apicem glandularum tegunt, minores et densiores ad centrum vergentes deprehenduntur; quod in lamella horizontaliter ab apice resecta distinete adparet. Immediate infra epidermidem in earum media parte asservatur materies flava vel fulva. Ad has glandulas pergunt vasa spiralia, ex petioli fasciculis prodeuntia; ultra glandularum medium non progrediuntur, sed ibi reflexa redeunt ad fasciculos vasorum petioli, vel ad foliorum nervos, neque apicem tangunt, aut in illo aperiuntur, quod in Amygdalo Persica observando expertus sum.

*Ulterior glandularum sessilium expositio.*

Glandulae sessiles multo magis adhuc, quam supra expositae, inter se differunt. Nonnullae ita oriuntur: parenchymatis cellulæ sensim sensimque minores sunt in his locis, et versus medium aggregantur, ita ut colliculus sive tuberculum inde nascatur, quod epidermide tegitur: colliculus ille vero a foliis solutus, diversæ structurae est, ubi prominentes cryptas obduxerat: ex qua diversa epidermidis fabrica cognosci potest, quo loco haec organa posita fuerant.

Earum egregium specimen Morus alba suppediat: in hujus foliorum epidermide minores cellulæ<sup>8)</sup> hac in regione circulum formant, cuius discus membranula pellucida, in centro elevata, non vero pertusa obstipatur. Haec organa minus colorata videntur, et parenchyma illa amplectens exiguum colorantem materiem continet, quare tantum ut maculae albicanentes adparent, nisi sectio subtilissima sit instituta. Ob formam, ea nominarem glandulas mamillares: a Guettardo comprehenduntur iis, quas vocat *glandes vescuaires*<sup>9)</sup>.

Inter omnes maxime cum illis convenient, quae ad foliorum denticulationum apices: hujusmodi in Populo inveniuntur, ad margines Brassicae foliorum, nec

B 2

non

<sup>8)</sup> vid. Tab. II. Fig. III.

<sup>9)</sup> Mémoires de l'acad. l'an 1745. p. 431.

non quae in foliorum inferiore parte *Ailanthe glandulosae Desfont.* prominent: eo tantummodo differunt, quod apices non integra membranula, sed minutissimis epidermidis cellulis, ibi concurrentibus, obducantur et navicula plane careant.

Sectio hujus organi perpendicularis internam oeconomiam magis explicat, quae eadem fuerat in glandulis calyciformibus, in quibus vasa spiralia usque ad medium pergentia, inflexa redibant.

Notatu digna est *Mesembryanthemi*, *Atriplicis* et *Sesuvii*<sup>69)</sup> conformatio epidermidis. In harum planatarum foliis et caule, hinc illineve cuticula surgit, et inflata vesiculos format, pellucido humore impletas, qui vel levissima vesicae ruptione profluit. Hujus pars, microscopio non nimis aucto applicata, cellulas pellucidas monstrat, quae ad telam cellulosam infra epidermidem positam referendae sunt, et quia nullo modo iis in locis, ubi epidermis elevatur, cum illa cohaerent, vesiculae nullis marginibus delineantur. Ab illis humor fecernitur, qui matutino tempore in *Atriplicis* foliis conspicuus est.

His addantur glandulae, in dorso foliorum *Thujae* eminentes, quae ab illis discrepant majori densitate et cuticula dupli vel saltem crastina constare videntur: opacae et cavae sunt; laefae humorum terebinthinae similem, graveolentem effundunt. Hae vero non

<sup>69)</sup> vid. Tab. III. Fig. I.

non minus quam illae nomen glandularum vesicalium  
merentur.

Unica tantummodo glandularum species illu-  
stranda adhuc venit, quae in Dictamni albi foliis se-  
ostendit. Inter linguae humanae papillas circumvalla-  
tas et harum formam tanta intercedit similitudo, ut  
has, uti illas, *glandulas circumvallatas* nuncupare nullus  
dubitem. Profundius haerent in carne foii, et fugiti-  
vo oculo illas intuens, oscula esse, sibi quis persuadere  
posset: vallo circumductae sunt, quo in medio glo-  
buli instar, prominent. Generatim omnes glandulae  
in sequentes ordines dividi possunt:

A) Glandulae internae, (quae hoc non pertinent.)

B) Glandulae externae.

1) Glandulae pedunculatae.

a) Gland. capillares.

b) Gland. calyciformes.

2) Glandulae sessiles.

a) Gland. mammillares.

b) Gland. vesiculares.

c) Gland. circumvallatae.

*De pilis agizur.*

Nec minus in conformatione partium earum epidermis valet, quae ex plantarum superficie excrescunt, nunc pili, si vero copiosiores densiores vel diverso modo dispositae, alio nomine veniunt et modo lana, modo tomentum, barba, villus, sericum appellari solent. Microscopium haec organa tanquam tubulos membranaceos pellucidos exhibit, quorum basis, et hoc evidentissime patet, ex continuata epidermide nascitur. Eorum origo clarius adhuc in pilis evadit, qui Helianthi gigantei cauli insistunt, ubi bulbis supercedent, ex quibus reticulata epidermis ad pilos transcurrit. Similia Urtica urens observanda offert. Ne tamen omnes, hac internae structurae quam formae simplicitate designatas credamus, eorum varietates breviter demonstraturus, non tantummodo diversis plantis, sed earum in variis plantarum partibus.

Quamquam *Guettardus*<sup>61)</sup> tantum de' pilis quantum de glandulis memoraverat, tamen eorum structurae praecipuas variationes evolvam, quin minima perpendam.

Pili aut bulbis inserti basi latiori gaudent, aut continuo ex cuticula surgunt: hi observantur in Knautia orientali et aliis, qui epidermidis longiores productiones videntur: nam pellucidissimi et cylindri vi  
trei

<sup>61)</sup> Mémoires de l'acad. royale des sciences 1745. p. 380.

trei instar, nullo diaphragmate divisi deprehenduntur. Felici separatione cuticulae his pilis instructae, qui simul cum illa detrahuntur, et omni parenchymatis tela purgata, ab interna epidermidis facie, fistularum ora distincte cognosci possunt. Attamen aliorum pilorum fistulae pluribus diaphragmatibus distinctae, in loculos distribuuntur, qui articulorum formam exhibent et hinc, pili articulati<sup>62)</sup> nancupantur.

Plures ex eodem punto fistulae ortae, pilos effingunt stellulatos; tales sunt in Elaeagni angustifolii, Althaeae cannabinae et Verbasci foliis. In duos verticilos coacervati sunt Andryalae integrifoliae pili. Miranda sane est eorum figura, qui integumenta tomentosa Cheiranthi incani componunt: cylindro brevi ex folio prominente constant, cuius in apice trabecula formae semicircularis horizontaliter adfixa est, et cuius margo convexus plures pilos emittit; qua effiguratione palmae formam sibi comparant, et pili palmati vocari merentur. His similes sunt, qui Corni maris caulem occupant, et ita formantur, ut tubulo, ex epidermide prolongato transversim pilus adfixus sit, et adpressus caulem tegat, quales *Guettardus* describit nomine *filets en naveite*<sup>63)</sup>.

Pili simplices in duos vel plures ramos excurrunt, quibus singulis aliud nomen *Guettardus* designaverat.

<sup>62)</sup> Mémoires de l'acad. 1745. Pl. 7. Fig. 18. 19.

<sup>63)</sup> Mémoires l. c. p. 384. Pl. 7. Fig. 14.

verat<sup>64)</sup>). Hae tamen subtilitates scopo meo parum conducerent; quare campum fugio, ubi lusui imaginationis permultum spatii datur, ac investigatori lumen ad disquirendum adimitur.

Pauca tantummodo de plantis hirtis, quales Papyrer somniferum et Pap: dubium. Siquidem horum pili rigidiiores, ut alii, ex continua epidermide nascentur, simul tamen contextus folii cellulosus in tubulum adscendens, eos implet et opacos reddit. Quamquam lentes plurime convexas adhibui; quamquam diversissima speculi conversione eos contemplatus, tamen orificium, nec in eorum apice nec in alio loco percipere potui.

## 8.

*De epidermidis colore.*

Pulcherrimi colores micantes large a natura in regno vegetabili dispersi, quorum ope ver revirescens juvenem amore et senem vita revocata reficit: ex quorum varietate fingens phantasia nos rapit excitatis mentis viribus. Nec libidinosus habitus plantae in Africa natae, nec tristis ille incolarum borealium plus epidermidi debent quam aethiops cuius epidermis haud tincta, pellucida servatur. Eadem in plantis<sup>65)</sup> est; et si negare nemo possit, eam ad coloris modificationem

fua

<sup>64)</sup> Ibidem Pl. 7, Fig. 13, 21, 20, 11.

<sup>65)</sup> Philibert's introduction a l'étude, Tome 1. p. 95.

sua densitate vel laxiori textura et varia expansione, quaedam tribuere posse, haec tamen ipsa, colore destituta<sup>66)</sup>, ubicunque observata fuit.

Nonnulli quidem de truncorum epidermide contendunt, pruni cinereum, cerasi rubescentem, viridemque in amygdali teneris ramulis<sup>67)</sup> deprehendi. Ita tamen adparet, nonnisi parenchymate adhaerente, sed rite ea ab illo denudata omni colore libera perspicitur, qui tantummodo in cellulis primis, a parenchymate et cuticula<sup>68)</sup> conformatis, moratur. Si hae cellulæ vehementiori epidermidis detractione rumpuntur, omnis coloratus humor diffunditur et alba pellucida cuticula remanet, unde venit, quod Tradescantiae discoloris inferior folii epidermis, hic rubra, ibi albicans appareat. Bene tamen notetur: duntaxat res in quibusdam plantis sic se habet, in aliis tamen variat, quarum nec superficies solum, sed etiam interna caro tingitur, ut Betae vulgaris radix, cuius cellulæ parenchyma constringentes, omnes colore implentur.

<sup>66)</sup> Senebier Physiologie végétale, Tome I. p. 143.

<sup>67)</sup> Du Hamel du Monceau l. e. Tome I. l. I. p. 47.

<sup>68)</sup> vid. Tab. I. Fig. I.

*An epidermis ad partes vita destitutas numeranda sit?*

Fridericus Alex: ab Humboldt<sup>69)</sup> lignum, semenum coronas et epidermidem vitae expertes censet. Humilis balsaminae quam quercus umbram late spargentis, tenerrimum germen, jam, antequam ex cotyledonum sinu propullulat, cuticula, cellulis quam rimis annulatis praedita, involvitur. Quotquot ante eorum ex terra exitum, disquirebam, hanc observationem affirmabant.

Semina, paululum in terra aut aqua submersa, ut germinarent, dissecabam eo momento, quo eorum involucrum dissiliebat: plumulae tunc epidermidem illustravi, quam, ut descripsi, eandem semper perspexi. Hac observatione refelluntur, qui epidermidis ortum ex aeris actione explicant: dum vero jam eadem in tenerrimis plantis, ut plumulae sunt, aëri nondum expositis contemplanda venit. Grewius<sup>70)</sup> discedit ab illis et cuticulam in germinibus deprehensam involvi affirmat.

Hoc organon non in annuis solum, sed in perennibus etiam plantis, earum non singulis sed omnibus partibus additum, quod in aliis, omni anno vel biennio re-

<sup>69)</sup> Aphorismen aus der chemischen Physiologie der Pflanzen. Leipzig 1794.

<sup>70)</sup> Ephemer. medico phys. germ. ann. 1677. p. 301.

renaescitur, dum in aliis per plures vitae annos incolume a prima aerae servatur, quod recentiores cerasi et pyri monstrant, sanum egregiumque observatur in Pino Strobo, quae pulchre adolevit: hoc dico organon, ex distensione propagationem capere, quidam aestimant, quin vegetatione augeatur, aut incremento addito amplificetur. Cur autem in sanis arboribus diutius epidermis continua non fissa moratur, quam in aegrotantibus?<sup>7)</sup>

Plantarum vita ex vegetationis phaenomenis cognoscitur, quae aliter in algis aliter in cedris prodeunt, quum illis deficiat, quod hae aperte habent. Sic plures plantarum partes evidenter eas actiones exserunt ad quas symbolam suam necessario epidermis confert, quae igitur absque ea explicari nequeunt. Pili et glandulae nonnullae, ad quarum structuram, quod supra expositum, epidermis multum, nisi omnia confert, humorem vel continuo, vel faltem quodam diei tempore fecernunt. Hae actiones, quantumcunque nos fugiant, vim postulant, qua efficiantur et cujus phaenomena vitam indicant.

## IO.

*Vita epidemidis.*

In plantis annuis, epidemidis finis cum planta ipsa terminatur, et cum hac, simul in prima elementa redigitur: quae in perennibus, per multos annos juvenilem habi-

7) Du Hamel du Monceau l. c. Tome I. p. 48.

habitum prae se fert, et demum sero, rimis, solutione a trunko, et destructione finem obtentum monstrat. Platanus, ut serpens exuvias, omni biennio epidermidem abjicit. Haud dissimilia phaenomena praebent Potentilla frutescens, Betula alba, Prunus Cerasus, maxime vero Fuchsia excorticata; et earum aliae conveniunt in eo, quod earum epidermis, peracto illi destinato aevo, in longitudinem et transversum rupta dissiliat. Nunquam non horum phaenomenorum causam ex mechanicis principiis deducere studebant; qua ratione plerumque, incremento, expansioni et incrassatis partibus internis, ligni, alburni, libri et corticis, tribuitur. Observationes tamen ostendunt, arborum aetate proiectarum cuticulam robustiorem et crassiorem: juvenilium vero tenerissimam, quae minima adhibita vi laceratur. Illa certe magis extensioni repugnaret, dum praeterea, quo arbores sunt annosiores, eō lentius earum incrassatio et expansio incrementum capit, quae multo magis in herbis vigentibus augentur. Ceterum tenuior et tenerior epidermis prodire deberet in vetustis arboribus; quod autem experientia plane refutatur, nam crassior et densior in illis deprehenditur.

Truncus vel ramus, cuius epidermis laesa et decisa linquitur, in ea regione nec intumescit, nec protuberantiam format, nisi et cortex simul laceratus <sup>72)</sup> sit. Platanus illam nunquam abjeceret, si expansio ejus solum in causa esset: quia fissurae et rupturae ejus suffici-

<sup>72)</sup> Du Hamel du Monc. l. c. Tome 1. p. 50.

sufficerent, ut internae partes plus spatii caperent, quin omnis cuticula a trunco integre separanda esset. Tot exempla observatori ad persuadendum se offerunt, et demonstrant, quamvis partem organici corporis propria vita gaudere, quae sibi propria principia agnoscit et illis terminatur. Foetus quaedam partes notae sunt, quae, illo nato, pereunt. Plantarum cotyledones nonnisi breve tempus supra terram elevatae vivunt; jam senescunt, dum aliae plantarum partes in ortu juventutis adhuc vivunt. Hibisci flores prima luce nascuntur, et eodem natali die evanescunt. Folia mille plantarum nutriuntur et vivunt, et simul cum planta ipsa defruuntur, dum in mille aliis plantis, longiori minorive temporis spatio, renascuntur. Nequaquam id frigoris efficacia<sup>73)</sup>, nec copiosori transpirationi, quam autumnali tempore auctam<sup>74)</sup> scimus, efficitur; sed arboris partium sanarum actione, folia separantur<sup>75)</sup>. Primo petioli epidermis, tunc cortex, dein fibrae lignosae<sup>76)</sup> discedunt. Porro plantae recentiores pluribus pilis teguntur quam annosae; hi autem vasa sunt secretoria et in plantis vetustis exsiccati pereunt ac delentur. Resorptio et transpiratio

<sup>73)</sup> Du Hamel du Monc. l. c. Tome I, p. 141.

<sup>74)</sup> ibidem p. 141.

<sup>75)</sup> Gerard. Vrolik dissertatio de defoliatione vegetabilium etc.

1796. In Reils Archiv der Physiologie 3. B.  
S. 396.

<sup>76)</sup> Vrolik dissert. l. c. p. 397.

copiosior sentitur in plantis haud vetustis: tempore autumnali<sup>77)</sup> pedetentim iminuitur, dum folia morti proxima sunt. Ex his sequi mihi videtur, epidermidem ad partes plantarum viventes enumerandam esse; quae demum mortua, per sanarum partium actionem, ut folia a trunco dissolvitur.

## II.

*Epidermidis regeneratio.*

Platani dejecta cute, aliam restituunt. Eodem modo Betulae desquamantur et infra epidermidem solutam, reviviscent altera, quam adhuc plures insequuntur. *Du Hamel*<sup>78)</sup> varias arbores epidermide denudavit; plaga recentes follicite texit, et illas, aliquo tempore elapsu adspiciens, regenerata cuticula obductas videbat.

Aliorum auctorum experientiae eadem probant.

Ad finem mensis Augusti, experimenta ipse insti-  
tui: Dolichi sesquipedalis caulem, vix e terra surgen-  
tem, ad hunc finem cuticula denudavi: quod eodem  
modo in pyro et heliantho experiebar. Peractis sex  
hebdomadibus vulnera perscrutabar, quae ligata, vel  
tecta non fuere; ea, restituta epidermide custodiri vi-  
debantur, et eorum adspectus vix ab illo aliarum par-  
tium epidermide tectarum differebat; quod inter om-  
nes, optime in Dolichi caule patebat. Hic, plagae  
mar-

77) *Hales et Bonnet*. l. c.

78) libr. cit. Tome 1. p. 48, 49.

margines, cum recenti epidermide penitus confluebant,  
ita ut nulla prominentia in vulneris limite cognosci  
potuerit.

Nunc vero enucleandum erat, an generata cuti-  
cula, illi primo genitae plane congrueret. Quare hanc  
dissecabam et tunc forcipe, hujus particulam decerpere  
tentavi; sed frustra laboravi. Illico rumpebatur, quia  
nimis rigida fuit. Nonnisi sectione subtilissima laniel-  
lulam mihi comparavi indagationi aptam. Cellulae  
ejusdem formae erant, ut alius epidermidis, hunc cau-  
lem velantis. Aliae plantarum partes nec ullum epi-  
dermidis vestigium regenerationis detegunt et harum  
praecipuae sunt folia et fructus, quarum vita brevis  
minori temporis spatio terminatur. Nunquam in his,  
cuticula laesa, regeneratione partium perditarum, re-  
stituitur ac conjungitur.

## CAPVT

amplius in aliis etiam non solum in aliis, sed etiam  
in longo etiam aliquando in ramosimis nunc tamen  
per se.

duo dicuntur, ut iste maturissime erit non  
quod iugum quod  
**C A P V T II.** omnesque  
**D e e p i d e r m i d e i n s p e c i e .**  
etiam sicut illud omnis illud. Namque si ab initio  
calidior et modus in origine etiamque idem vel  
etiam ex parte sibi inservient, in hunc ex quo motu  
etiam mutatio etiam mutatio sita. sicut etiam  
**C o t y l e d o n e s .**

**U**t epidermidis ortus, explicatio et varietas, primo  
intuitu perspiciantur, quidam ordo requiritur, quem  
persequi posse arbitror, si a germine plantarum incipiens,  
ad alias partes progrediar. Hac ratione cotyledones  
primo contemplandae veniunt, quum ex illis,  
omnis epidermis, tam rostellum, quam plumulæ, ori-  
ginem ducat.

Semina, quae aut in terra aut in aqua germini-  
nare inceperant, aperiantur et tunica externa liberen-  
tur, quo facto, cotyledones, rostellum et plumulam  
adhuc custodientes et cum illis, canaliculo conjunctæ  
adparebunt. Tales cotyledones nostræ illustrationi  
aptissimæ et maturæ: ex earum tam interna<sup>79)</sup> quam  
externa superficie, epidermis haud solutionem recu-  
sat: et si microscopio bono subiicitur non tantummodo  
cellu-

<sup>79)</sup> Grew. vid. Ephemer. cit. p. 301.

cellulosa cuticulae structura, sed etiam rimae annulares distincte emergunt. In Cheiranthi incani tam interna, quam externa cotyledonum cuticula, cellulæ irregulares et rimarum annuli oblongi parvi perspicciuntur.

*Hedwigius* Cheiranthi incani<sup>80)</sup> cotyledonum, et Perillae occymoidis<sup>81)</sup> cuticulam egregie delineavit.

## 2.

*Quaedam de radicis regmine.*

Ex interna cotyledonum pagina, epidermis sursum ad pluvinulam, deorsum vero utrolibet latere ad rostulum pergit. Semina Dolichi sesquipedalis et balsamineæ ex terra evelli, antequam involverum demiserant nam eo tempore radix tenuis et adhuc albicans, jam terrae immissa est et tunc temporis illustrationi aptissima. Felici cum successu epidermidem decerpsti, quæ cellulæ constabat, illis similibus, quas trunci cuticula exhibet: hic constanter fere quadrangulares vel saltem longioris formæ obveniunt. Radices vetustæ epidermidis segregationem denegant, nisi coctio, vel seccatio subtilis, plus quam detractio praestent. Acori Calami radicis epidermis, cellulæ quadratis componitur, sed omnium rimarum expers est. Eadem in ra-

<sup>80)</sup> Sammlung. sein Abb. Tab. V. Fig. I.

<sup>81)</sup> ibidem Tab. V. Fig. 2.

dicibus Betae vulgaris, Dauci Carotae, Hyoscyami nigri, Menthae aquatica et aliarum observavi, quae ulteriore expositionem haud requirunt.

Hic opportunus videtur locus, quaedam de bulbi epidermide addere. Amaryllidis formosissimae bulbum investigavi: hujus omnes squamas separavi singulas perscrutaturus: quaelibet earum, tam externa quam interna cuticula constructa, cellulas sexangulares ne ulla quidem rima praeditas ostendit. Sed interiores squamulae ex quibus folia propullulant, adhuc tenerimae in bulbo occultae, epidermide tenuissima involventur, quae separata, egregias rimas annulatas manifestabat. Harum annuli emarginati et rimae ipsae rotundae<sup>82)</sup> exhibebantur.

Radicis epidermis longe alias conditiones agnoscit, quam trunci; quod ex variis externis irritamentis, quae aliter illam et aliter hanc afficiunt, et praeterea ex radicis in terra situ deducendum est: atamen cum trunci epidermide in eo convenit, quod radicis cuticula in nonnullis plantis cum planta ipsa periret, aut citius destruitur; quod fissuris, ruptione ac epidermidis solutione indicatur.

## 3.

*Carolis, rami, spinae et periolus;*

Eadem in regione, ubi epidermis cotyledonum ad rostellum pergit, sursum in plumulam adscendit et eadem

<sup>82)</sup> vid. Tab. I. Fig. II.

dem denique caulem investit. Diligens praeparatio cuticulam in tenerimis plumulis, clausis adhuc cotelonibus, solvere et demonstrare potest. Ita illam mihi comparavi, a dolichi, balsaminae et pisi plumula, quae cellulosa non tam texturam, quam etiam rimas disseminatas declaravit.

Hujus cuticulae structura in variis plantis varia est. Epidermidis cellulae, in Sii latifolii<sup>83)</sup> caule quadrangulares, in Salicornia herbacea<sup>84)</sup> vero sexangulares: longas cellulas sensim flexas repraesentat Alismatis<sup>85)</sup> Plantaginis caulis. In Cacto tetragono<sup>86)</sup> cellularum margines undulati, et in Cacto Ficu indica<sup>87)</sup> irregulares et denticulati adparent.

Rimae hujus epidermidis vel in ea ita dispersae sunt, ut earum longior diameter caulis longitudini congruat, vel varie in trunci superficie disseminatae collocantur: illarum numero sunt, Sium latifolium et Anagallis latifolia<sup>88)</sup>; ad has autem pertinet Salicornia herbacea.

## C 2

## Seo

<sup>83)</sup> vid. Tab. III. Fig. III.

<sup>84)</sup> vid. Tab. III. Fig. VI.

<sup>85)</sup> vid. Tab. III. Fig. II.

<sup>86)</sup> vid. Tab. II. Fig. I.

<sup>87)</sup> vid. Tab. II. Fig. VI.

<sup>88)</sup> vid. Tab. III. Fig. IV,

Sed fallimur, si in omnibus caulium speciebus rimas annulatas fore putamus: sicut Oenothera biennis, Papaver somniferum, Nolana prostrata, Vicia Faba, Cnicus oleraceus et adhuc plures, his organis carent in caule.

Rimarum annuli modo simplices, modo duplices, modo etiam triplices obveniunt. Cactus tetragonus<sup>89)</sup> exemplum annuli triplicis ordinis refert: quorum medius usque ad rimam haud raro fungosa materia impletur. Duplices annuli in Cacto<sup>90)</sup> Ficus indica reperiuntur et simplices, in plurimis herbis, fruticibus et arboribus occurunt.

Ceterum annuli, rimas involventes in mediis epidermidis cellulis ita sunt positi, ut vel inter illas et cellulae margines<sup>91)</sup> nulla interjecta sit conjunctio; vel locum occupent inter duas cellulas, in quo alias margo<sup>92)</sup> cellularis has cellulas sejungeret; vel deum annuli in tribus, quatuor vel pluribus<sup>93)</sup> punctis cum cellulis circumfusis conjugantur.

In Mefembryanthemi crystallini caule, epidermidis structura miranda est, eadem in Sefuvio<sup>94)</sup>. Hic in

<sup>89)</sup> vid. Tab. II. Fig. I.

<sup>90)</sup> vid. Tab. II. Fig. VI.

<sup>91)</sup> vid. Tab. III. Fig. III. IV.

<sup>92)</sup> vid. Tab. III. Fig. VI.

<sup>93)</sup> vid. Tab. III. Fig. II. et Tab. II. Fig. II.

<sup>94)</sup> vid. Tab. III. Fig. I.

in diversis locis cuticula elevata, humore pellucido extenditur et ibi vesiculam formans non parenchymati adhaeret: verumenimvero in aliis regionibus, inter vesiculos, arcte cum tela cellulosa parenchymatis nectitur et hae epidermidis partes nexae, cellulas sexangulares, interjectisque rimis et annulis, manifestant, qui plane in vesiculis desiderantur.

Praeter has glandulas vesiculares, aliae insuper in caule notandae veniunt: mammillares nempe, quas in Heliantho giganteo sparsas investis et quarum apex pilo terminatur. His copiosiores occurunt glandulae pedunculatae capillares: hae caulem, ramos et alias partes obtegunt in Nicotiana rustica, Cleome arabica, Salvia glutinosa, et ex illis viscosa, nonnunquam griseolens materies profluit, unde plantae tactui viscosae apparent. Pili euidem varii generis, stellulati, simplices, articulati, dichotomi in hac parte animadver- tuntur.

Cum illa convenient ramorum, petioli, cirrhorum et spinarum cuticulae, quae, si differunt, tantummodo minoribus cellulis et rimarum minori numero distinguntur. Spinorum epidermis semper tenacior est et nonnisi circa basi rimis praedita est.

Epidermidis hujus naturam supra, ubi generatim de hoc organo tractabam, ita attigi, ut pauca addenda supersint. Color illi non proprias est, sed communatus a materie colorante, in cellulas parenchymatis supre-

supremas, collocata: hic perfluet uti in foliis, radice aliisve partibus, quae colore tinguntur. Trunci epidermis caduca est, eoque phaenomeno quam plurimum ab alia cuticula plantarum differt, cum in foliis, corollis nec non in aliis partibus desideretur. Ea autem trunci cuticula iterum hic memoranda haud est, quod satis de illa praecepimus paragrapho decima capitinis primi. Tantummodo addi liceat ea, quae monui:

- 1) Epidermis caduca ut pars mortua consideranda.
- 2) Arboris, aut alias plantae, cuticulam, fanae et viventes partes a trunco segregant.
- 3) Hac ex ratione veteres, non recentes plantae cuticulam perdunt;
- 4) et plantae aegrotantes prius illam demittunt quam fane vigentes.

## 4.

*De foliorum epidermide.*

Regnum vegetabile haud ullum organon amplectitur, quod plus argumenti, ut naturae variationes admiremur, sistat, quam folia.

Eorum structura primo intuitu, varietates innumeræ ostendit, quarum totidem in minimis eorum partibus, imperfectos nostros sensus fugiunt. Jam diu vi-  
ri non pauci frustra oeconomiam foliorum subtiliorem,  
evol-

evolvere studebant; sed ipsi oculo armato saepissime ejus explicatio evolabat. Meum scopum tantummodo attinent ea, quae in horum organorum superficie occurunt.

Ex folii situ jamjam patet, superiorem et inferiorem superficiem, cui totidem epidermides congruunt, deprehendi posse, quas nudus oculus varie constructas perspicit. Superior epidermis ut plurimum laevior et saturatius tincta est inferiore, quod ejus structuræ tribuitur. In utraque, glandulae capillares, pili simplices, articulati, stellulati, dichotomi, partim ex bulbo, partim ex plana epidermide surgentes, dispersi patent. Itidem in aliis foliis, ut Passifloræ normalis, glandulae mammillares in inferiore superficie prominent, quae in superiore Mori albae folii facie emergunt.

Mesembryanthemi folia crystallini et cordifolii, glandulas vesiculares in omni superficie sparsas habent. In ejusdem plantæ foliis omnibus, eadem structura diffusa est: sed varia in diversis herbarum speciebus. Variationes omnes cellularum, quas Cap. I descripti, in foliorum epidermide contemplandæ: in Pitcarnia angustifolia quadrangulares; quinque vel sex angulis instructæ sunt in Tradescantia discolore <sup>95)</sup>). In Hibisco (Abelmoscho <sup>96)</sup>) margines cellularares undulatim

per-

<sup>95)</sup> Tab. I. Fig. I.

<sup>96)</sup> Tab. III. Fig. VIII.

pergunt, qui in Eucomis punctatae cuticulâ longiores et paululum flexi progrediuntur.

Non minus a se invicem differunt annuli et rimae, quarum diversa figura haud raro genera, saepius ipsas species plantarum distinguit. Attamen, ut distinctionis commune criterium non valent, quia plantae aquaticae et musci illis plane carent.

Annuli rimarum modo oblongi; ita enim copiosissimi et tales in Hibisci Abelmoschi<sup>97)</sup> superiori cuticula obveniunt, qui transversim a cellulis recipiuntur. Elliptici et duplices sunt in Salisburyae<sup>98)</sup> inferiore folii superficie. Magnoliae grandiflorae<sup>99)</sup> inferior epidermis plurimis rimis annulatis, quas unquam vidi, componitur: ad quarum annulos, tres, quatuor, seu plures margines cellulares applicantur. In Citro<sup>100)</sup> rotundae rimae, et annuli multanguli observantur.

Ab omnibus autem nunc enumeratis, rimae longe differunt, quas in folii Nerii Oleandri<sup>101)</sup> inferiori pagina comprehendebam. *Malpigius* illas cognovit, de-

<sup>97)</sup> Tab. III. Fig. VIII.

<sup>98)</sup> Tab. I. Fig. III.

<sup>99)</sup> Tab. I. Fig. VIII.

<sup>100)</sup> Tab. I. Fig. IX.

<sup>101)</sup> Tab. I. Fig. IV.

descripsit et delineavit in operibus suis, ubi nomine hiatus follicularum<sup>102)</sup> veniunt. Formam plus minusve ovatam attingunt: earum margines pilis ornantur versus medium earum flexis. Haec ab omnibus aliis discrepans figura mihi movit dubitationem, illaene ad eadem organa, quae in primis hujus libelluli paginae descripsi, pertineant: attamen posthac duplicitatione certior factus, ad rimas haec organa numeravi; primo, quia praeter haec, nullae partes in hac planta deteguntur, quae magis rimas aequarent; et secundo, nullum, exceptis aquaticis, plantae folium observavi, quod rimis penitus careret: et si saltem in inferiori epidermide conspicuae fuissent.

Agaves americanae<sup>103)</sup> epidermis majorem adhuc attentionem meretur. In ea, cellulosa tela magis regularis observatur; cellulae fere omnes hexagoni formam habent, et inter has rimae annulatae locatae sunt. Tam rimae quam annuli quadrangulares, angulos obtusos referunt. Haec organa epidermidem superare videntur, quod ex umbra quam spargebant, non tam deduci potest, quam etiam ex sectione, cuius ope solum haec epidermis ab aliis plantae partibus semoveri potuerat. Quamquam instituta sectio, epidermidis cellulas perspicuas repraesentaverat, tamen haec corpora quadrangularia obscura interdum latebant: quo-

<sup>102)</sup> *Malpighii anatome plantarum*, p. 36. et 37. Tab. 20.  
Fig. 306.

<sup>103)</sup> vid. Tab. II. Fig. V.

quo autem sectio subtilior peracta, eo etiam illa pellucidiora reddebantur, et ita nonnullas rimas in medio apertas obtinui, dum aliae magis opacae rimam membranula clausam habebant; haec vero membranula ad parenchymatis primas cellulas pertinet, quae haud follicite ab epidermide segregatae fuere.

Arborum foliorum epidermis superior plerumque ab inferiore discrepat: illa vel paucis vel nullis constat rimis, haec vero saltem plures nisi omnes folii rimas continet. Exempla sunt Pyrus communis, Prunus domestica, Morus alba, Acer Pseudoplatanus, Acer Negundo, Populus tremula et aliae.

Plantae humiles et succulentae fere totidem rimis, in utraque folii facie, praeditae sunt; vel saltem eorum numerus non multum differt. Ad has numerantur, Amaranthus sanguineus, Saxifraga crassifolia, Euphorbia litterata, Plantago lanceolata, Agrostemma Githago, Pelargonium zonale, Althaea cannabina, Gaura biennis, Sempervivum arboreum, Mefembryanthemum cordifolium et crystallinum, Argemone mexicana, Solanum corymbosum, Calendula officinalis, Leontodon Taraxacon, Knautia orientalis, Physalis barbadensis, Basella alba etc. quas omnes investigabam.

In plurimis graminibus epidermis cum illa pinorum et palmarum convenit. Major concinnitas earum cellularum formam ornat. In aliis cellularum formam ornat. In aliis cellulae, quadrata, in aliis paralle-

rallelogrammata figurant, quorum margines cellulares undulati pergunt: tales obveniunt in *Poa abyssinica*, *Zea Mays*, *Holco spicato*, *Holco Sorgho*, *Saccharo officinarum*, *Uniola paniculata*, *Pino canadensi*, *Juniper* pero commuui etc.

Rimae in pini et graminum foliis in lineas sparsae sunt. Tales in *Pino Strobo*<sup>104)</sup> ellipticae formae reperiuntur, quae copiosissime et arcte positae sunt, adeo ut earum annuli fere se invicem contingant: rima ipsa rarissime aperta videtur; ut lineam sat latam, fungosa tela obstipatam semper conspexi in pini foliorum latere magis albicante; in alia superficie magis virescente, haud ullam rimam denudare potui. Ceterum notandum venit, quod porro ex observatione de pinis cepi. In spatio illo, quod inter rimae annulum et cellulæ margines jacet, fungosa iterum materia ibi fistens, lucis radios transire non sinit, quod etiam in tabulis meis exhibere studui.

Rombi fere formam referunt graminum rimarum annuli, uti *Holcus Sorghum*<sup>105)</sup>, *Zea Mays*<sup>106)</sup>; vel ovales aestimantur, quarum sunt in *Saccharo officinarum*, *Poa abyssinica*, *Uniola paniculata*. Plures sunt in inferiore folii epidermide et saepius in qualibet hujus cellula rima et annulus contemplandi sunt. In eo,

<sup>104)</sup> Tab. I. Fig. VII.

<sup>105)</sup> Tab. III. Fig. V.

<sup>106)</sup> Hedwigs Sammlung. sein. Abhandl. Tab. V. Fig. 6.

eo, palmarum epidermidis structura congruit, quod ejus rimae ut praecedentium, in lineas concinnatae sint, quamquam denique cellularum diffusio mire varia sit. Chamaerops humilis et Phoenix dactylifera inserviebant disquisitioni meae. Quamquam haec specimena rarissime apud nos existunt, haec tamen ex horsto botanico ab Illustri Sprengel accepi; cuius in me tanta fuit benivolentia, ut non tantum plantas rariores, sed alia adhuc subsidia, scopum meum promoventia mecum communicaret. In his vero plantis rimas parvas rotundas et cellulas varie formatas inveniebam, quae tamen plerumque longiores quam latae sunt et parallelograminata plurimum referunt.

Universalis epidermidis structura ad filices usque protenditur. In Osmundae regalis, Polypodii filicis maris et Polypodii vulgaris fronde, saltem in pagina inferiore apertissime, sub microscopio, margines cellulares undulati et annuli elliptici magni evadunt, qui duplicitis ordinis sunt in Osmunda regali<sup>107)</sup>, et aurea materia usque ad rimam implentur. Lycopodii alpini folia in utraque pagina, rimis annulatis praedita sunt.

Plantae, quas hunc memoravi, epidermidis foliationem facile concedunt, quae aegre in Marchantia polymorpha fieri potest. Reiterato tamen labore, ejus superiorem cuticulam indagandam apte paravi: frustra id in inferiori tentavi. Superior in quibusdam locis, orificia

<sup>107)</sup> Tab. II. Fig. II.

orificia ovata manifestat, quae annulo<sup>108)</sup> dupli semper circumscripta reperiebam. Nonnunquam clausa videbantur, quod etiam figuris delineatis explicavi, et frustula membranae ruptae, margines distincte reliquerunt. De eorum natura nondum certus sum, et in medio relinquendum sit, an rimis annulatis vel glandulis mammillaribus adnumeranda sint.

Insuper foliorum epidermis ab alia differt in eo, quod illa ad glandularum mammillarium structuram Mori albae<sup>109)</sup>, Betulae albae, Passiflorae normalis plurimum confert, et cuticulae structura varia est, ubi glandulae sitae sunt et nervi currunt. Quantum glandularum structura illi debet, jam supra protuli, nunc pauca tantummodo de foliis nervosis addam.

Qua epidermis supra nervos expansa est, ejus celulæ forma ita differunt, ut ex illa cognosci possit, an folium nervo instructum fuerit, nec ne? Ibi plerunque magis extensæ apparent, quam in alia cuticulae parte. Tales etiam reperiuntur in illa, quae spinis inservit, et in quarum basi paucae disseminatae rimæ elucent. Quod ad foliorum colorem attinet, hunc non ad epidermidis naturam referri posse, sat evictum est, et sequens observatio magis confirmare potest, quae certa jam sunt. Folia caduca pallescunt, et diversissimi coloris sunt; attamen eorum epidermis eadem obser- vatur in illis, quam in foliis virescentibus.

Fo.

<sup>108)</sup> Tab. II. Fig. IV.

<sup>109)</sup> Tab. II. Fig. III.

Foliorum epidermis cum foliis ipsis eodem tempore perit, et nonnisi in petiolo jam citius rupta epidermis futuram mortem <sup>no</sup>) indicat.

5.

*Pedunculus, calyx, corolla.*

**A** radice surgens epidermis, caulem ramosque involvens, ad calycis externam superficiem pergit: ab hac ad internam calycis, et ab illa ad externam corollam progressitur; quae nunc ab externae corollae pagina ad internam et denique ad antheras, germina stylum que transit, sensim sensimque adtenuatur, eaque ratione deum ad corollae structuram multum facit. Externa calycis epidermis maxime cum illa foliorum congruit. Variat interdum cellularum forma et rimarum numero, saltem illas in omnibus plantarum calycibus et in ipsis graminum glumis perspiciebam. Interna calycis cuticula in pluribus plantis subtilior est praecedente, et nonnisi in quibusdam calycibus eo differt, quod rimis plane destituta sit. Infra hanc epidermidem haud raro glandulae modo rubrae, modo flavae, modo virescentes, nunc rotundae, nunc vero lenticulares obveniunt. Ita Passiflora normalis, Althaea cannabina glandulis rotundis, et Palava malvaefolia lenticularibus praeditae sunt. Ceterum in utraque calycis epidermide pili et glandulae capillares eminent, quae organa copiosius in externa superficie prominent. Iam plures calyces in

ico-

<sup>no</sup>) Vrolik l. c. p. 39.

scopum meum feliciter secavi; sed corollae hujusmodi indagationem, nonnisi in crassioribus felicem futuram suspicabar: interdum labores mei, quamquam frustra fuerunt multi, eo perveniebant, ut, non tantummodo a carnosis petalis, externam et internam, sed ipsas tenuissimas Papaveris corollas, in duplice epidermidem segregare potuerim. Nemo qui illam contemplatus fuit, diversam hujus epidermidis structuram ab alia negabit: et ea fuit formae distinctio, ut ex epidermide sola pateret, ex quaham plantarum parte haec decerpta sit. Primum rimabat flores Chrysanthemi carinati, Papaveris somniferi, Malvae sylvestris, Oenotherae biennis, Anagallidis latifoliae, Physalidis barbadensis, Calendulae officinalis. Nec in externa nec in interna harum plantarum cuticula rimas annulatas evolvere potui: harum cellulae plerumque quadrangulares, vel breviores et quadrato magis similes, vel longiores: earum margines fere semper undulati et teneritate maxime distincti adparent. Mira adhuc alia structura corollae cuticulam internam ab externa, haud parum distinguit; internae nempe cellulae in plurimis corollis, e mediis iis surgunt, ut vesiculae elevantur, et conos pellucidos formant. Ita reperiuntur in Chrysanthemi carinati radio: hujus cellulae, epidermidis internae, ex basi quadrangulari <sup>111)</sup> nascuntur, conos obtusos formant, quos nonnisi e latere <sup>112)</sup> contemplari poteris.

Hae

<sup>111)</sup> Tab. I. Fig. VI.

<sup>112)</sup> Tab. I. Fig. V.

Hae observationes, corollae diversissimam oeconomiam sistentes, spem fallere mihi videbantur, quod forsitan in hac ipsa criteria occulta forent, quae siemergerent, omnia dubia solverent; quae jam diu de corollae aut calycis praesentia in quibusdam plantis agitata sunt. His autem Fuchsiae coccineae sectio favebat, cuius externa acuta petala <sup>iiij</sup>), in utraque facie rimis obsessa erant, duin latiora interna illis penitus carebant et corollis propriam cellularum <sup>iiij</sup>) figuram aperte indicavere: ex quibus proflueret, externa petala calyci et interna corollae adtribuenda esse. Nunc autem experiendum erat, quid flores monstrarent, qui simplicibus involucris instructi sunt, et de quibus nondum evictum est, ad calyces sive ad corollam pertineant? Quamquam anni tempus scopo meo contrarium fuit, quasdam tamen plantas mihi comparavi, quarum dissectiones breviter perpendam.

*Hedwigius* <sup>iiij</sup>) florem Lilii bulbiferi disquirens externam petali epidermidem rimis plenam perspexit. An fortassis externa hujus pars calyx et interna corolla nuncupanda est?

*Aconitum Anthora*. Petalum supremum galeatum externe et interne rimis carebat, petala media minora, in externa pagina rimis annulatis praedita, in-

<sup>iiij</sup>) Tab. II. Fig. VII.

<sup>iiij</sup>) Tab. II. Fig. VIII.

<sup>iiij</sup>) Sammlungen sein. Abhandl. p. 128.

*interna earum expers est. Inferiora petala ut  
praecedentia constructa sunt.*

*Aconitam Napellus.* Ejus flos in omnibus congruit  
cum Aconito Anthora.

*Delphinium elatum.* Inferiora et media petala extus  
rimis praedita sunt, quae in interna horum epi-  
dermide desunt. Galea penitus rimis destitu-  
ta est.

*Passiflora caerulea,* Rimas vidi in utroque latere fo-  
liorum, tam in illis, quae calyci, quam in his  
quae corollae adnumerantur. Sed nectariorum  
epidermis haud ullam rimam manifestabat, et  
haec ita constructa fuit, uti in corollis deprehen-  
di solet; nam cellulæ omnes in conos protende-  
bantur.

*Passiflora normalis.* Ut prior apparent.

*Eucomis punctata.* Hujus simplex involucrum in  
utraque superficie rimis praedita est.

*Hyoscyamus niger.* Calycis epidermis tam externa  
quam interna rimis constat, quae in externa co-  
rollae superficie non desiderantur. Ex his obser-  
vationibus criterii firmitas, quod de calyce et co-  
rolla statuendum esset, ab omnibus dubiis haud-  
quaquam libera evadit: attamen spem foveo, si  
unquam inter corollam et calycem constans di-

stinctio expectanda, hanc in subtiliore harum partium oeconomia quaerendam esse. Nunc ea addam, quae ex observationibus meis eluescunt:

- 1) In omnibus plantis, quarum calyx et corolla ut variae partes patent, earum differentia praeterea hac varia subtiliori structura affirmatur.
- 2) Calycis epidermis tam externa quam interna celiulis irregularibus, quarum latitudo plerumque longitudinem aequat, et rimis annulatis ubique disseminatis constat.
- 3) Glandulae plures obveniunt in calycis interno latere quam in flore.
- 4) Corollae epidermis cellularum constructione <sup>ne</sup>) ab aliis partibus discrepat; partim marginibus undulatis, partim etiam cellularum elevatione, quae plerumque conos repraesentant.
- 5) Interna corollae cuticula nunquam rimis tegitur; nam id, quod in Passifloris observatur, hoc non pertinet, quia primo enucleandum venit, harumne nectaria, quorum structura corollae tantopere similis est, ipsae corollae sunt?
- 6) Rimae rarissime occurunt in externa corolla. Mihi hoc unicum Hyoscyami exemplum notum est. Quod de Lilii bulbiferi corolla censendum, supra monui.

6.

<sup>ne</sup>) Tab. I. Fig. I.

## 6.

*Antherae, germen, stylus, stigma.*

Harum partium epidermis structura non multum differt. Caticula antherarum et styli a germine producta, plerumque cellulis quadratis omnium rimarum expers composita est. Nonnisi versus styli extremitatem superiorem prope stigma, in *Passiflora* rimas detegebam.

Germen, quod praeparatione aut coctione, aut putredine indagationi aptum redditur, cuticulam crassorem sifit, cujus cellulae plerumque sexangulares, in plantis recentioribus rimas quasdam inter se sparsas exhibent, quae frustra in germinibus maturis quaeruntur.

Auctorum nonnulli<sup>17)</sup> dubitant, stigma epidermide custodiri. Haec dubia partim inde oriuntur, quod hujus partis cuticula aliter figuratur, partim etiam quod ab hoc organo epidermis aegre separari potest. Magno labore et frustra saepe instituto tentamine, feliciter tandem stigmatis partem cuticulae, aptam microscopicae observationi mihi comparavi, et simillimam cum corollae interna epidermide tenui deprehendebam, cujus cellulae in conos elevantur.

E similitudine epidermidis plantarum expansae cum illa hominis, patere mihi vero videbatur, hanc nulli plantarum parti deesse; equidem hanc epidermi-

D 2 dem

<sup>17)</sup> Senebier l. c. Tom. I. p. 148.

dem commodissime comparandam esse cum labiorum tenui cuticula, quae teneritate sua a qualibet alia discrepat, ut involucrum stigmatis. Hujus teneritas et cellularum conica forma, separationis felicem successum impedit. Etsi epidermidem a stylo versus stigma detrahimus, plerumque in ea regione rumpitur, ubi structura ejus tenerior et vesicularis incipit: nonnisi a stigmate Passiflorarum partem ejus decerpsti, quae disquisitioni meae sufficere videbatur.

Georgie  
L'Amour  
L'Amour  
L'Amour

## CAPVT

### C A P V T III.

#### *De usu et functione epidermidis.*

##### I.

##### *Introductio.*

Quodlibet membrum, quod in serie corporum organicorum invenitur, cum ceteris in mutua actione est. Functiones suas phaenomenis prodit, quae cum ejus structura in nexus necessario haerent. Ut illae autem elucescant, et earum varia expansio intellectu magis perspici possit, praemittenda est, quatenus nostrorum sensuum torpor non repugnat, organorum analysis, quae viam ad cognitionem muniat.

Ex ingeniosis hominum innumerae prodirent hypotheses, nunquam conciliandae, nisi anatomia nos ad lapidem lydium experientiae adstringeret. Ad hanc referenda sunt organorum actionis phaenomena, et nostrum est inquirere, qualis intercurrat nexus. Nec essario organi partium analysis antecedat, priusquam ejus functionum modifications intelligere queamus. Haec methodus quamvis tutior, non semper tamen sufficit.

sufficiens mihi videtur, quae nos ad finem perfectum perducat, et nos plane deserit, ubi sensuum nostrorum limites prodeunt, eodem momento, quo ad extremos fines pervenisse videmur.

Organorum structurae descriptione praemissa, quantum armati oculi praestabant, nunc quaedam plantarum phaenomena sat nota ad variam structuram referre, et hujus nexus cum illis demonstrare audeo. Quaedam tantum phaenomena proferam, ita comparata, ut nemo dubitet, quin epidermidis functioni tribuenda sint.

*Prieskleyus*<sup>118)</sup> primus fuit, qui de plantarum respiratione observationes instituit et eius successor celeberrimus *Ingenhousz*<sup>119)</sup> hanc viam prosequens, observationes maximi momenti edidit. Praecipue folia ad has observationes et experimenta adhibita fuerunt. Ingeniose autem et plures repetita haec experimenta docuerunt, folia lucente die oxygenium exhalare. *Senebe*

<sup>118)</sup> Humboldt's Aphorismen aus der chemischen Physiologie der Pflanzen. Leipzig 1794 p. 120.  
<sup>119)</sup> Versuche mit Pflanzen wodurch entdeckt worden, dass sie die Kraft besitzen, die atmosphärische Luft beim Sonnenschein zu reinigen. Leipzig 1780.

*rius*<sup>120)</sup> experimentis suis nonnulla refutavit, quae *Ingenhouſſ* contendebat; ille non concedit folia, durante nocte, azoticum et aliud irrespirabile gazz diffundere. Attamen aliae plantae ipsa serena die, non oxygenium parant. Harum est *Agaricus campestris*, nocte et die hydrogenium spargens, et si cum exxygenio in campana servaretur, hoc ita corrupit, ut aér nunc mixtus, carbone incensus vehementer detonaret<sup>121)</sup>. Similia phænomena *Dictamnus praegresso* ardente die gignit; ille, aërem quo circumdatur, maximè mutat, ita ut aér deinde facilime incendi possit. Eadem ex ratione timenda est *Hippomanes Mancinellæ*<sup>122)</sup> atmosphaera, et ejus humores venenum et mortem transfundunt.

Haec phænomena apud Franco: gallorum auctores<sup>123)</sup> nomine, *transpiration insensible*, veniunt: ea *Philibertus*<sup>124)</sup> ad exhalationes pertinere cenſet, dum sensibilem transpirationem in exfudationem et dejectionem dividit. Haec transpirationis species dupli modo redditur et percipitur: aut vaporis forma, uti in exspiratione animalium fieri solet, materia qua-

120) Expériences sur l'action de la lumière solaire dans la végétation, p. 120. f. (8. Genève, 1788.)

121) Humboldt's Aphorism. p. 107.

122) Philibert l. c. Tome II. p. 333.

123) Guettard, vid. Histoire de l'académie royale des sciences. 1749. p. 210.

124) loc. citat. Tome II. p. 331.

dam volatilis foliis secernitur, quae vicinis partibus adhaerens, in guttulas ibi colligitur: aut crassior humor a plantarum organis effunditur, qui in superficie plantarum residet. De prima hujus transpirationis specie nos certiores reddunt celeberrimi *Halesii*<sup>125)</sup> follicite instituta experimenta, quibus evicit, plantarum transpirationem, multo superare illam hominis.

Per quindecim dies *Helianthus*, cuius foliorum superficiem mensus est, cum superficie hominis comparata, observavit, hujus plantae transpirationem illam hominis decies superare.

*Brassicae* planta per duodecim horarum spatium, libram unam et novem uncias sui ponderis, vitis eodem tempore sex uncias et 244 grana, amisit, dum citrus 8 uncias, transpiratione perdiderat.

Quidquid plantae transpiratione perdunt, absorptio varia restituitur, attamen de radicum functione hic supersedeo, et tantummodo de illa absorptione loquor, quae vel foliorum vel caulis epidermide efficitur. Hanc probant *Boneti*<sup>126)</sup> experimenta, quae omne dubium removent, quod absorptioni repugnaret. Ita per omnem plantarum vitam continua materiei vicissitudo sustinetur, quae in omni vegetabili regno diffusa elucescit.

Plan-

125) *Statik der Gewächse* übersetzt von Wolf. Halle 1748.

p. 6.

126) *Recherches sur l'usage des feuilles*, p. 148.

Plantarum pondus non tantum eo augetur quod  
materiae transpiratione imminuta retinetur<sup>127)</sup>, sed  
etiam plus materiei resorbent, quam transpirando  
evolat.

Folia ex arbore decerpta aeris exposita, paulo post  
pallefcunt, et flaccescunt, tunc omnis labor ad eorum  
restaurationem frustra adhibetur: sed eadem folia, si  
illico aquae ita applicantur, ut vel unica saltem eorum  
superficies, vel utraque aqua tangatur, per plures  
dies, hebdomades et menses virescunt ac vivant.  
Haec phaenomena plurimum convenient cum cutis hu-  
manae functionibus; qua ratione jam *Malpighius*<sup>128)</sup>  
folia cum cute comparavit, quia in illis transpiratio  
manifestissime patet.

Quisque concedet, omne, quod plantis recipitur,  
aut prorsum ab illis in atmosphaeram effunditur, epider-  
mide transmitti debere. Irritamenta omnia, externa,  
cuiuscunque sint generis, plantas invadentia epidermide  
fuscipiuntur; cuius vis recipiendi quamquam minus  
in epidermide appareat quam in aliis partibus, tamen  
ex illis quae nota sunt et ipsa rimirum contractione  
nec vis illa nec vita imperfectior denegari potest.

Determinatu difficultimum esset, quid epidermis  
sola, omnis conjunctionis cum partibus vicinis expers,  
ad

<sup>127)</sup> Hales l. c. p. 17.

<sup>128)</sup> Anatome plantarum. p. 38.

ad functionem transpirationis ac absorptionis, conferret, sed quaestio haec ad cutem humanam applicata haud felicius solvenda esset; nam quis cutis functionem perpetuam sibi animo concipere potest, nisi simul vasorum et nervorum cum illa nexus cogite?

In cute humana alia organa humores ejiciunt, alia materies recipiunt. Similem oeconomiam in plantarum cute distributam deprehendi puto. Varia organa epidermide continentur in variis partibus, quae cum varia functione plantarum cohaerere mihi videntur, quod nunc clarius evolvam.

## 3.

*Quae organa absorptioni praesint?*

Dudum conjectabatur, folia, quorum transpiratio tam evidens apparuit, singulari structura praedita esse, quae illam efficeret. Poros suspicabantur auctorum plures, quos alii perspexisse volunt. Quaelibet pellucidior macula hujusmodi orificio aestimabatur, et Leeuwenhoekius in unius folii superficie 172000 oricia, se vidisse refert.

*Hedwigius* <sup>129)</sup>, fere primus fuit, qui clarissimas descripsit ac figuris illustravit. Haec oricia organa secretionis esse, in libro suo physiologico, demonstrare studet. Eodem in libro, folia inquit, quae

Bon.

<sup>129)</sup> Sammlungen sein. Abhandl. 1 B. S. 129.

**Bonetus** oleo inundabat, hac sola ratione peribant, quia transpiratio impedita fuit, eodem modo phaenomena, ad transpirationem suppressam refert, quae quisque in planta, vel artificiali pluvia vel rore mafacta, deprehendere potest. Tunc restaurantur herbae, calore et siccitate jam flaccifcentes: quod phaenomenon ex restituta transpiratione explicavit: nam organa, inquit, secretoria diversis externis rebus obftipari poſſunt, quas aqua abſtergit et hoc modo officia purgat.

Attamen horum phaenomenorum explicatio alio modo facilius eluceſcit: nam folia, oleo obducta flaccifcent et pereunt, quia viae non patent, quibus alias nutritio partim accessit, et eadem ex ratione revirescunt plantae, vel aqua vel rore adſpersae, quia tunc partes humidas ac nutrientes recipiunt.

Si arbores maxime vigentes foliis privantur, illico debilitantur et earum vita frangitur. Plantae in regionibus exſiccatis disseminatae, etsi jam labefcant, diffuso rore <sup>130</sup>) brevi tempore restaurantur. Eadem Bonneti <sup>131</sup>) experientia affirmavit, qui foliorum a trunco segregatorum unam ſuperficie aquae imposuit, ea tunc per plures dies, hebdomades, et menses vireſcentia obſervavit, dum alia mox ab arbore diſsecta deſtruebantur. Mox etiam expertus eſt praeſtantissimis

130) Du Hamel du Monceau l. c. Tome I. p. 166.

<sup>131)</sup> Oeuvres d'hiſtoire naturelle. Tome IV. p. 27.

suis experimentis; folia non omnia, per idem tempus  
hoc modo nutriti, et varias eorum superficies non pa-  
rum diversitatis efficere.

Mori albae<sup>132)</sup> folia, quorum superficies superior  
aquaee applicata erat, per quinque dies sana servabantur;  
si vero inferior eorum superficies aquam tetigit,  
ultra sex menses viridia vigebant.

Syringae vulgaris, Brassicae oleraceae, Helianthi  
annui et Plantaginis folia non mutabantur, sive in-  
feriore, sive superiore superficie aquae imposita.

Attamen folia Pruni Cerasi, Pruni domesticæ,  
Pyri communis et aliaruin arborum, nonnisi inferiore  
superficie, aqua inundata, salva et incolumia perdura-  
bant. Haec observatio mibi tanti momenti videbatur,  
ut illa ductus, tunc omnem attentionem in foliorum  
superficiem dirigerem, et praecipue in illas, quae tam  
varios effectus exhibebant. In his etiam variam epi-  
dermidis structuram percepi, quae constanter in nexu  
cum effectibus absorptionis fore videntur. Folia, quae  
superficie superiore ad aquam applicata, mox peribant,  
nunquam rimis annulatis in ea pagina, ornata erant.  
Sed horum superficies, quae tantum humoris imbibebant,  
ut per longum temporis spatium nutrimentur,  
rimis magnis ac copiosis pollebant.

Morus alba, quae tam diversos absorptionis effec-  
tus ostendebat, in superficie folii superiore, nullas, in

<sup>132)</sup> ibid. p. 34.

inferiore vero copiosissimas rimas possidet. Itidem rimae desunt in superiori foliorum facie, Pruni Cerasi, Pruni domesticae et Pyri communis, quarum inferior epidermidis superficies egregium, inumeris rimis fractis rete monstrat. Talis rimarum distributio in omnibus arborum foliis obvenit; et si in superiore foliorum pagina annuli et rimae quaedam dispersae sint, tamen rarissime ibi occurunt, ita ut eorum numerus, cum illo inferioris superficie, haud comparari possit.

*Zea Mays* <sup>133)</sup> plus humoris, latere folii inferiore absorbet, quam superiore, nam in illa superficie plures rimae dispersae sunt. Observatum est, quod rimae annulatae in superiore foliorum pagina eo rariores et in opposita frequentiores sint, quo plantae sunt altiores: dum vero plantulae humiliores, in utraque foliorum superficie, fere totidem rimis a natura praeditae sunt: Hac oeconomia plantae altiores facultatem nanciscuntur, humores e solo ascendentibus, inferiore folii superficie absorbendi, et plantae humiliores, vaporibus plerumque involutae, non minus superiori, quam inferiori superficie imbibunt. Hae rationes, ut puto, satis evincunt, rimis annulatis absorptionem esse tribuendam: cum praeterea alia organa in plantarum superficie collocata, transpirationi praesint.

<sup>133)</sup> Bonner l. c. Tome IV. p. 294 — 295.

*Alia organa secretionem promoventes.*

Sole oriente, in omnes res vegetabiles novum vigorēm diffundente, hae denuo e somno excitantur. Fru-  
tices ac arbores rufus nutriti oxygenium parant,  
quod in atmosphaeram effundunt. Humores varii in  
guttulas collecti, in variis foliorum locis apparent,  
qui organorum secretionis actionem indicant.

Roris matutini pars secrectione oritur, et ad pilo-  
rum apices non adtractionis vi, non ab externis trans-  
fusis humoribus in guttulas abit.

Hibiscus Abelmoschus, cuius folia et caulis co-  
piissimis pilis teguntur, quolibet mane humorem cam-  
phorae similem fecernit, qui ad pilorum apices collec-  
tus, evidenter vegetationem revocatam designat. Iam  
prima luce Verbasci, Digitalis ferrugineae, Agrostem-  
matis Githaginis, Leontodontis hispidi et Inulae He-  
lenii caules, ab ima usque ad supremam partem, gut-  
tulis nitentibus scatent.

Foliorum alia pilis destituta, matutino tempore,  
in quibusdam superficie locis maculas madidas varie  
dispersas aut guttulas ostendunt. Tales vel in supe-  
riore vel in inferiore foliorum facie erumpunt, quod  
quisque in Passiflorae normalis, Mori albae, et alia-  
rum plantarum foliis perbene animadvertere potest.  
Similia phaenomena in foliorum dentibus obveniunt,  
quae

quae in eorum pilis et superficiebus comprehendebantur. Attamen haec transpiratio, non nisi prima luce perspici potest, quum alto jam sole vel organa humorem volatiliorem fecernunt, vel saltem secreti humores calido sole celerius dissipantur.

Hujus roris speciem et ejus variam in plantis effusionem curatius perscrutatus est *Bjerkander*<sup>134)</sup>, cuius observationes breviter hic proferre liceat, dum ex illis gravia argumenta profluent, quae glandularum mamillarium ac marginalium functiones demonstrant. Ad margines foliorum orbicularium, parabolicorum, reniformium, cordatorumque<sup>135)</sup>, quolibet mane, guttulas eo in loco observavit, ubi foliorum nervi terminari videntur. In foliis ternatis, pinnatis et serratis, guttulae quidam perspiciebantur, sed illae in folii incisurae angulis jacebant. Praeterea in foliis pilosis guttulae omnes pilis adhaerebant, et alia folia in superficiebus suis humore adpersa videbantur.

Brassicae oleraceae et aliarum plantarum folia investigabam, quorum praecipue mentionem fecit, contendens, transpirationem in foliorum marginibus quaerendam esse. Glandulas, in quibusdam eorum prominentes, in aliis vero non elevatas inveniebam; attamen harum interna structura cum illa prominentium,

<sup>134)</sup> Abhandlungen der Königl. schwedischen Academie.  
Uebersetzt von Kästner. B. 35. S. 66.

<sup>135)</sup> Bjerkander l. c. p. 67. Tab. III. Fig. I.



tium, optime congruit. Vasa spiralia e nervo prominentia ad quamlibet glandulam tendebant, quae vero in mediis iis reflexa, partim ad superiorem, partim ad inferiorem vicinam glandulam progrediebantur, ita ut omnes glandulae marginales inter se conjugantur.

Hac observatione ductus, folia denticulata disquisitioni meae subjeci, ut enuclearem, cur haec tantummodo in foliorum incisura<sup>136)</sup> secretos humores effunderent. Semper has plantas delegi, quas *Bjerkander* investigaverat, et hac vice, primo Sambuci Ebuli folium perscrutabar. Denticulationes microscopio subjeci, ubi perspicue in quolibet incisurae angulo duae, tres vel quatuor glandulae capillares, et in Aesculo Paavia et Delphinio elato, iisdem in locis tres vel quatuor pili prominentes manifestabantur. Verum enim vero non in omnibus ab illo enumeratis foliis haec oeconomia invenitur. Foliorum alia denticulata, longe alia structura gaudent, quae maxime illam attingit, quam exposui, quum de glandulis mammillaribus egi. Iam oculus non armatus in variis denticulatis foliis perspicit, nervorum ramulos maiores non ad denticulationum apices pergere; sed illi prope incisuras currunt et maculam pellucidiorem efficiunt. Tales deprehendis in Rosae caninae foliis, et ibi facile earum similitudo cum glandulis mammillaribus supra expositis intelligitur. Solummodo eo differunt, quod hae non

<sup>136)</sup> *Bjerkander* I. c. 68. Tab. III. Fig. II.

non elevatae sunt, dum illae superficiem superant. In his quidem vasorum spirarium nexus, flexiones et anterior propagatio investigari potest, et puto secretionem eodem modo in his, quam in illis effici.

In illis foliis, quorum superficies variis in locis<sup>137)</sup> guttulis occupatur, semper glandulas illas mammillares aut vesiculares conspici. Illas optime monstrant Phaseolus vulgaris, Vinca minor, Betula alba, Ruta graveolens, Morus alba, Dictamnus et aliae plantae, quas Bjerckander enumeravit: has vero in caule et foliis Mesembryanthemi et Atriplicis contemplari poteris. Evidem arbitror, has glandulas secretioni praeesse, quum illae Atriplicis, quotidie oriente sole madidae appareant et facile exsudati humores lindeo abstergi possint.

Ad has nunc enumeratas functiones insuper pertinet ea, quae glandulis capillaribus efficitur: ab illis humor viscosus nonnunquam graveolens nonnunquam etiam fragrans continuo per diem secernitur, et cum plantis habitum illum viscosum communicat. Sic Salvia glutinosa, Cleome arabica, Silene sedoides, hirsuta et nicaensis, Nicotiana rustica et adhuc plures tam matutino tempore, quam etiam ad vesperam madidae et glutinosae fentiuntur.

### Aliae

<sup>137)</sup> Bjerckander L. c. p. 69.

Aliae plantae vero utroque organo instructae sunt et pilis et glandulis capillaribus pollut; certe in illis variis functionum effectus observandi sunt et arbitror earum pilos nonnisi matutino tempore pellucidiores humores fecernere, quum glandulae earum capillares fere continuo humores viscosos effundant. Nam foliorum Andryalae integrifoliae, Pelargonii inquinantis et Pelargonii zonalis pili alto jam sole nunquam madidi deprehenduntur; cum eorum glandulae capillares semper humidae et glutinofae sunt.

## 5.

*Alius epidermidis usus.*

Primus certe epidermidis usus, quem clare exposuisse arbitror, in eo consistit, quod illa, ad organorum structuram plurimum conferat, quae transpirationem et absorptionem, plantarum actiones gravissimas, promovent. Attamen ejus varios alias usus, quamquam minoris momenti sint, haud negligere possumus.

Epidermidis major firmitas, jam tenuissimas et recentes plantulas custodit, ne valida irritamenta externa parenchymatis functiones turbent. Quodsi aliquis de ejus firmitate in plantulis vix ortis, dubitet, ipse observationes instituere et harum plantarum cuticulam decerpere debet, quo facto perspiciet, hujus epidermidis telam cellularem esse robustiorem et firmiorem parenchymate: nam epidermis nunquam hoc modo decipi posset, nisi parenchymatis cellulae tenuiores essent,

essent, quam ipsa cuticula, quae magis, quam illae,  
adhibitis viribus resistit.

Trunci nonnisi vetusti, quum internae partes firmiores ac robustiorcs evadunt, epidermide carere possunt et tunc illa destruitur. Hac sola ratione plantae teneriores et quae brevi tantummodo vita praeditae sunt, nunquam hanc cuticulam abjiciunt; quia tantum roboris haud capiunt, quod epidermidem inutilem redderet.

## 6.

Quid epidermis ad habitum conferat?

Vario modo haud parum ad ipsam plantae externam structuram, quam habitum nuncupare solemus, confert. Plica ejus vel in caulis vel in seminum superficie figurata, miram illis formam impertit: talis in caule, illi nomen caulis alati, et feminibus nomen Samarae tribuit, quorum exempla referunt, Pini semina, Bignoniae, Ulmi denique. Si epidermidis cellulæ minimæ et parum elevatae sunt, nitor tunc in foliorum superficie nascitur: qualem videmus Magnoliae et Calophylli foliis. Si vero cuticula laxior, hinc illineve elevata, cum parenchymate quibusdam in locis non cohaeret, plantae tunc accipiunt crystallinum habitum, quem egregie Mesembryanthemi species monstrant. Aut denique in pilos varie figuratos protenditur, qui ratione situs, formæ, vel longitudinis vel numeri, rigiditatis vel laxitatis suae, nunc barbae



nunc villi, lanae, tomenti, serici vel setarum nomen  
acceperunt.

Hac varia superficierum figurazione, lucis radii  
varie franguntur, et hoc modo, quamquam epidermis  
ipsa colore destituta est, tamen humoris colorem mu-  
tare potest, qui in primis parenchymatis cellulis effu-  
sus servatur. Credibile omnino est, si cuticulam cu-  
jusdam partis coloratae, sive radicis, sive caulis detra-  
himus, tunc denudatam partem magis fuscam appare-  
re, nisi talem partem detegamus, quae pellucidissima  
et tenerima epidermide tecta erat: sed quaevis craf-  
sor hanc differentiam evidentissime demonstrabit.

THESES.



---

## THESES.

---

### I.

Inter arthritidem et rheumatismum nullum constans intercedit discrimen.

### II.

Catarrhi vesicae urinariae diagnosis haud facilis est.

### III.

Hydrofulphur Ammonii vim sedativam ostendit.

### VI.

Schregeri theoria de foetus nutritione haud sufficiens est.

V.

Blennorrhœa intestini recti ab haemorrhoidibus albis di-  
screpat.









VI.

Plantarum cuticula nullis vasis constat.

VII.


Hedwigii theoria de rimarum annulatarum usu, falsa mihi videtur.

*Tab. I*










Krocker del.

Eberhard sc.




*Tab. II*



Kr. ed:


C. sc:



*Tab. III*



I



II




III




IV




V




VI




VII



VIII




IX




X

Kr. del.

E. sc.



PICA



DE  
PLANTARVM EPIDERMIDE.

SPECIMEN IN AVGRALE

QVOD

CONSENSV FACVLTATIS MEDICAE

HALENSIS

GRADU

D I

A N T

P R A

T Y P I S

